

DISSERTATIO JURIDICA,

25

DE

SPADONUM

EUNUCHORUMVE

JURIBUS CIRCA MUNERA

ECCLESIASTICA ET CIVILIA,

ADOPTIONEM, ULTIMAS VOLUNTATES

ET SUCCESSIONES

POSTERIOR,

Quam

SUB PRÆSIDIO

JOHANNIS BERENT, U.J.D.

SERENISSIMI AC POTENTISSI-

MI ELECTORIS BRANDENBURGICI JUDICII

AULICI CONSILIARII

Publicæ Eruditorum Ventilationi submittit

BALTHASAR TILESII,

Goldb. Boruffus,

IN AUDITORIO MAJORI

Die Mensis Novembris, Anno M DC XCV.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.

VIRO
ILLUSTRI, EXCELLENTISSIMO ET GENEROSISSIMO
DOMINO,
DN. SIGISMUNDO à WALLENRODT,
CONSILIARIO Provinciali Eminentissimo, & Districtus
Fischhufni ARCHI-CAPITANEO summè Conspicuo,
Hæreditario Domino in Remitten / 2c. 2c.
DOMINO SUO GRATIOSISSIMO.

VIRO
MAGNIFICO ATQUE GENEROSISSIMO DOMINO,
DN. JOHANNI GEORGIO à GÖTZEN,
ELECTORALIS BRANDENB. IN PRUSSIA SUPREMI
TRIBUNALIS CONSILIARIO longè Gravissimo,
Hæreditario Domino in Bärwald / Stentken / 2c. 2c.
DOMINO AC PATRONO ÆTERNUM COLENDO.

VIRO
NOBILISSIMO CONSULTISSIMO ATQUE AMPLISSIMO
DOMINO,
DN. SAMUELI SELLEN,
SERENISSIMI ELECT. BRANDENB. CONSILIARIO,
ut & SUPREMI IN BORUSSIA TRIBUNALIS SECRETARIO
longè Meritissimo,
FAUTORI DEVENERANDO.

Exercitationem hanc motus eâ, quâ in singulos
infigni exuberant humanitate ac benevo-
lencia in sui studiorumquè suorum ulte-
riorem commendationem cum ferventissi-
mo omnigenæ felicitatis voto

humillimè offere

RESPONDENS.

I. N. J.

CAPUT IV.

DE JURE EUNUCHORUM
CIRCA MUNERA ECCLESIA-
STICA ET CIVILIA.

SUMMARIA.

<i>Eunuchus Lege Divinâ prohibetur, ne intret Ecclesiam. N. 1</i>	<i>Canonum hâc de re sententia. 12</i>
<i>Quod & verum est de eo, qui cum uno testiculo natus est. 2</i>	<i>An propter elephantiasin exsecti sacerdotio fungi possint? 13.14.15</i>
<i>Varia interpretatio textûs Levitic. XXI. v. 20. 3</i>	<i>Cautela ex Theodoro Balsamone notata. 16</i>
<i>Quid significet intrare in Ecclesiam? 4</i>	<i>Claudii Espencei hâc de re opinio. 17</i>
<i>Causa remotionis Eunuchorum à munere Ecclesiastico. 5</i>	<i>An Eunuchus possit fieri Papa? 18.</i>
<i>Quæ nec à Gentiliis placitis est aliena. 6</i>	<i>Annon obstat promotioni ad dignitatem Papalem, si quis testiculos non habeat? 19</i>
<i>Quæ corporis vitia impedimento fuerint, quò minus ad sacras adspirare potuerint functiones? 7</i>	<i>Incidenter Johanne Papissæ mentio fit. Commentum Simoni Majoro; fabula Blondello & Florimundo de Ramond. 20</i>
<i>Ratio hujus rei ex Philone Judeo, Clemente Alexandrino & Antonio Claro Sylvio. 8</i>	<i>Contraria Platine, Chalcondyle itemquè Barlaami & aliorum sententia. 21</i>
<i>Luciani Samosatensis de hâc re sententia. 9</i>	<i>Exempla Eunuchorum ad functiones sacras admissorum præstant in Niceta & Ignatio. 22.23.</i>
<i>Intelligendum hoc est tantùm de iis, qui aut spontè, aut culpâ suâ virilia perdidit. 10</i>	<i>Gracis illis suffragantur quodammodo Pontifices Romani ipso factò. 24</i>
<i>Secus si sine propriâ culpâ vel fortuitò talem exsectionem passi. 11</i>	<i>Regine Candacis Eunuchum à Philippo conversum aliis in hoc prævisse volunt. 25</i>

K

Eu.

<i>Eunuchos ad aula ministeria fuisse admissos ex Platone & Heliodoro probatur.</i>	26. 27.	<i>nuchorum robore corporis sententia.</i>	37
	28	<i>Bassa Hally Eunuchus strenuus Bellator.</i>	38
<i>Notabilis de Eunucho Cleopatra casus.</i>	29	<i>Majori gloria dignum censent Narsetem Eunuchum, & que de eo contraria opinio sit rejecta.</i>	39
<i>Notatu digna de Eunuchis ex Xenophonte & Tavernier.</i>	30. 31	<i>An tutum, Eunuchos tutela puellarum vel monialibus praeficere?</i>	40
<i>Castrati Principum Romanorum Cubicularii.</i>	32	<i>Consultum haud esse probatur exemplo Eunuchi Regis Babylonie.</i>	41
<i>Eutropius Eunuchus Consul fuit Romanus, immunitatis Ecclesiastica turbator.</i>	33	<i>Alexander Severus balneis foeminarum preposuit Eunuchos.</i>	42
<i>Distinctio munerum caractere munitorum à caractere destitutis.</i>	34	<i>Eunuchus adulter uti apud Turcas quondam punitus?</i>	43
<i>An Eunuchi Tutores atque Curatores esse possint?</i>	35	<i>Tristia fata experti Juliani, Theodosii & Alexandri Severi Imppp. atate Eunuchi.</i>	44
<i>Non quodlibet vitium corporis à tutelâ atque cura excusat.</i>	36		
<i>Cyri apud Xenophontem de Eu-</i>			

1 **S**ummus Legislator DEUS O. M. *Deuteron. XXIII. 1.* Eunuchum attritis vel amputatis testiculis & abscisso verebro Ecclesiam suam intrare prohibet. Quod ad eum

2 etiam, qui cum uno testiculo natus esset, extenditur *Levitic. XXI. vers. 20.* Septuaginta enim *μόνοσχῶν* reddiderunt; *Mamonides* autem: cui vento tumentes sunt testiculi. *Arias Montanus*: contusum testiculo. Hujusmodi enim hominum genera non poterant esse Sacerdotes, non Magistratus. Nam intrare in Ecclesiam Theologis & ipsi *Luthero h. l. est*, aliquo officio aut magistratu fungi *in Tom. 3. Latin. Jenens. fol. 137. b.* Quò ipsò tamen non illicò à Judaismo, fide, salute & templo prorsus arcebantur, sicut latius hoc persequitur *Cornelius à Lapide*

pide in Comment. in Pentateuch. ad d. l. Ratio remotionis ab
 Ecclesiasticis functionibus hæc esse videtur, quod nihil DEO
 consecrari potuerit, nisi integrum & omnibus substantiæ suæ
 partibus esset perfectum. Lex sacra est stirpi Aharonicæ *Le-
 vitic. XXI. 17. Homo de semine tuo per familias, qui habuerit
 maculam, non offeret panes DEO suo, nec accedet ad ministe-
 rium ejus, seu, quod idem est: Non sit inter DEI ministros,
 aut à sacris functionibus, qui vitio corporis laborat, apud Sel-
 denum de Success. in Pontif. Ebraeor. Lib. 2. c. 5. pr.* Sanè ejusmo-
 di corporis perfectionem vel ipsum etiam Romulum jam tum 6
 desiderâsse in suis Sacerdotibus, ut nimirum integro essent cor-
 pore; ex Dionysio Halicarnass. *Lib. 2. c. 21. p. 90.* apparet. Jo-
 sephus *Lib. 1. de Bello Judaico* meminit: Antigonum Lucano
 cuidam dentibus præcidisse aures, ut nunquam ad Sacerdo-
 tium pervenire posset. Quippe inter hæc vitia, quæ faculta- 7
 ti capessendæ Dignitatis sacerdotalis impedimento erant,
 etiam ista sunt apud Ebræos: *Cartilago auris lacera, discissa, &c.*
*item: Membrum genitale compressum, genitaliumquè obstructio,
 nec non scrotum percussum, ut inde laderentur testiculi.* Sel-
 den. *d. l.* Habent nimirum isti homines ex corpore ad ani- 8
 mum analogiam ad eos, qui ob inveteratam malitiam sunt
 sapientiæ expertes, & DEI præceptorum incapaces, unde nul-
 lum ex iis fructum possunt producere, non secus acsi mente
 castrati essent & steriles, uti cum Philone Judæo & Clemente
 Alexandrino ratiocinatur Anton. Clar. Sylvius *in Comment. ad
 L. Reg. & XII. Tabb. cap. 17. p. 423.* Lucianus Samosatensis, 9
 Christianus primùm, mox malignus fidei desertor *in Dialogo:
 An Eunuchus possit Philosophum agere?* Jam hoc, *inquit,* ho-
 minum genus non solum ab ejusmodi contubernio secludi
 oportere, verùm etiam ab ipsis sacris & vasis puris, breviter:
 ab omnibus cœtibus publicis ejici.

- 10 At enim verò de omnibus hæc intelligi non posse Eunuchis, maximè hodiè secundùm Canones, sed tantùm de iis, qui *vel sponte* sibi virilia præciderunt, fortè sedandæ libidinis causa c. 4. & c. 5. dist. 55. c. 4. & c. 5. x. de corp. vitiat. Canisius Lib. 1. Instit. Jur. Canon. tit. 7. pag. 34. vel qui ab aliis talem abscissionem passi sunt *culpa suâ*, aut quia *rei illicita operam dantes* tale membrum casu perdiderunt, verius esse existimamus. Vid. Andr. Vallensis in Paratit. Jur. Canon. Lib. 1.
- 11 tit. 20. n. 3. & 4. Aliud pergit idem, dicendum, si à Medicis vel à Barbaris, vel Dominis aut Parentibus suis sine propria culpa talem exsectionem quis patiatur (*nec hoc casu necessum est, cum virilia sua arefacta vel in pulverem redacta secum gestare, ut possit si Sacerdos, celebrare ut ridiculè fabulantur muliercule.* Navarr. in Manual. c. 27. n. 20.) aut fortuito, dum operi rustico alterive licito curam impenderet, &c. Videlicet inter sic dictos Canones Apostolicos XXI^{mus} ita habet: *Eunuchus, si ex hominum quidem injuriâ factus sit, vel in persecutione virilibus privatus sit, vel sic natus est, & dignus est, fiat*
- 13 *Episcopus.* Planè aliquando adversa valetudo v. c. eminentis
- 14 *elephantiasis*, morbus Isidoro Hispalensi ex similitudine elephantis dictus, cujus naturaliter dura & aspera pellis nomen morbo in hominibus dedit, quia corporis superficiem similem facit elephantorum cuti, sive quia ingens passio est, sicut animal ipsum ex quo derivatum ducit nomen, in lib. 4. Origin. c. 8. Quò spectant illa Æmil. Macr. lib. 1. c. 15.
- Est Lepra species, Elephantiasisque vocatur,
Quæ cunctis morbis major sic esse videtur,
Ut major cunctis Elephas animalibus extat.*
- 15 Pestilentia contagiola Paulo Zacchiæ in quest. Medico-Legalibus lib. 3. tit. 3. quest. 2. n. 16. imò vera legitima & consummata lepra eidem in dicto tr. lib. 8. tit. 3. quest. 1. n. 10. dissentien-

CIRCA MUNERA ECCLESIASTICA ET CIVILIA. 77

tiante Vossio *lib. 1. de vitis serm. c. 32.* Elephantiasis inquam, svadet virilium exsectionem, quæ sive ante, sive in Sacerdotio contigerit, si culpâ suâ morbum hunc non contraxerit, non ejicitur quis propterea Sacerdotio. *Vid. Cujacius in Tom. 3. Oper. ad t. C. qui testamenta facere possunt pag. 678.* Unde etiam (verba sunt Theodori Balsamonis *in Schol. ad Canon. XXI & 16 sq. p. m. 244.*) plurimi homines paulò consideratiores suos filios propter morbum castraturi ad Sanctissimam Ecclesiam accedunt, & morbum & Testiculorum abscissionem aperiunt. *Conf. can. 1. Concl. Nicani & omnino Balsamonis Scholium ibid. pag. 280. & sq.* Uti enim in illis perversa voluntas justè vindicatur, ita in his casus vel alienum factum veniam meritò tribuit & meretur *can. qui partem 6. & can. Lator presentium 11. dist. 55.* Ac propterea tanquam injuriâ graviter affecti ac miseratione magis digni ordinari non vetantur, Claud. Espencaeus *lib. 5. de Contin. c. 12. pag. 672.*

Planè Alciatus in *l. Spadonum ff. de V. S.* concludit: hujus generis Eunuchos ad quamcunque dignitatem admitti posse etiam Papalem, nam quamvis, *inquit*, ante coronationem soleat inquiri de electo in Summum Pontificem, & conclamari (ut fertur) *dignum esse papari, quia testiculos habet*: sufficit tamen eum habere mentulam, Virquè eâ ratione dici potest, apud Paulum Montanum Regis Hispaniæ Consiliarium *in tr. de Jur. Tut. & Curat. c. 23. n. 9. fol. 67. fac. 2.* Quam controversiam, quæ vulgò sic dictam *Johannam Papissam* respicere videtur, jam non faciemus nostram. Impudens quidem mendacium vocat Simon Majolus Episcopus Vultuariensis *in colloqu. 3. dier. Canicul. pag. 91. in tom. 1.* Ipseque inter Reformatos Vir multæ eruditionis Historiarum Reiquè Chronologicæ imprimis gnarus David Blondellus omnis antiquitatis Promus Busio, istam communem de Johanna Papissa opinionem

nem fabulam dicit & tanquam commentum *singulari libello* confutavit; Quod & inter Pontificios Florimundus de Ræmond, Regis Gallia quondam Consiliarius *in tr. l' Antipapeſſe on l' er-reur populaire de la Papeſſe Jobanne* præſtare conatus; contra-
 21 rium tamen non infimæ notæ Scriptores aſſeruerunt. Plati-
 na *in vitis Pontificum*; Laonicus Chalcondyla *lib. 6. de Reb. Turcic. p. 411.* & qui alii longâ ſerie recensentur apud Johan-
 nem Wolfium *in Tom. 1. lectio. memorabil. centur. 9.* Qui-
 bus addo Barlaâmum doctum apud Græcos Monachum (ſed is fortè quia Græcus, Latinis ſuſpectus) qui *in lib. de Principatu Papa c. 14.* oſtenſurus & inter Papas hæreticos eſſe, cum ipſi obiceretur: multos Patriarchas priſcorum ſeculorum hæreti-
 cos extiſſe, Papparum neminem; *reſpondit*: Dicat ergò Ma-
 cedonius, quandoquidem ante ipſum nemo Episcopus Con-
 ſtantinopolitanus hæreticus fuit, proinde, ne ſe quidem eſſe.
 Aut potius, *ait*, ut exemplo magis familiari utamur: *Si quis impudica iſtius Muliercula, quæ Papa fuit, cauſam velit agere*; dicat; quandoquidem nulla ante eam foemina Papa fuit, ne ipſam quidem fuiſſe. Quæ cum ſanâ rectâque ratione quò tandem pactâ cohærent? H. I. Sed hoc in tranſitu, jam in lineam.

Diximus Eunuchos non ſpontè tales factos, ſed vel à Do-
 minis vel à Medicis vel Paganis exectos à functionibus Eccle-
 22 ſiaſticis non arceri. Sic *Nicetas Eunuchus* ſub Imperatore
 Constantino ejuſquè Filio Leone per annos XIII. menſes 4.
 Patriarcha Conſtantinopolitanus in ſerie eorundem LII. Eccle-
 ſiæ Græcorum præfuit, juxta Philippum Cyprium Magnæ Ec-
 cleſiæ Notarium *in libello, qui Catalogum Patriarcharum Con-*
 23 *ſtantinopoleos* continet. Quos inter etiam *Ignatium* quendam
 referunt Virum Sanctiſſimum; ſed ecce Græcorum hoc fa-
 ctum ſcelus ac deteſtabile facinus à Romanorum Pontifice
 Leo-

Leone IX. appellatum. *Vid. Majol. d. l. pag. 92.* Quum ta- 24
 men Pontifices non attento capite Maritum 2. *dist. XXXIII.* quô
 is, qui semetipsum quolibet corporis membro indignatione
 aliquâ, vel justo vel injusto timore superatus, truncaverit, in
 Clerum recipi & ordinari prohibetur, nihilominus eos quoq;
 qui seipfos castrare non dubitaverint, ad Episcopatus promo-
 verint. *Vid. Menoch. de Arbitr. Judic. Quest. & Caus. lib. 2.*
Cent. 6. cas. 570. n. 14. & sq. Græcorum istorum antesigna- 25
 num volunt *Eunuchum Regine Candaces* à Philippo conversum,
 quem tanquam Apostolum vocabulo hoc in latiore significa-
 tione sumpto, in Arabia felici & Taprobanâ Insula maris rubri
 Evangelizasse & martyrium subiisse auctor est Sophronius Hie-
 rosolymitanus. *Vid. Marcus Anton. de Dominis in lib. 4. de*
Repub. Ecclesiast. c. 1. §. 3. p. m. 349.

Munera Politica quod attinet, à Regibus Persarum ac Ve- 26
 terum Græcorum aliorumquè populorum summis Principi-
 bus Eunuchos seu homines castratos ad aulæ ministeria anti-
 quis jam temporibus fuisse adhibitos assertum est à benè mul-
 tis Scriptoribus. Plato in *Alcibiade Primo pag. 344.* Heliod. 27
Æthiop. lib. 8. Persarum, inquit, Regis Aulis oculi sunt & au-
res, Eunuchorum genus. Qui cum neque liberos neque cogna-
tos habeant, quibus eorum animi devincti esse possint, pendent
ex illo solo, qui se illis credidit. Scilicet prole destitutos puta- 28
 bant majori erga Principes suos charitate, majori fide futuros,
 à qua benevolentia ipsam Eunuchi vocem, ut supra ostendi-
 mus, derivasse nonnulli censent. Sic Epiphanius *lib. 2. cont.*
heres. Eunuchos vocari ait, *ωδὸς το εὐνοεῖν*, quod benevoli esse
 & fidem servare didicerint; quo nomine *Eunuchus Cleopatra* 29
 commendari solet, qui simul atque illa capta fuerat, serpen-
 tibus sese ultro mordendum præbuerat, morsusquè in foveam
 ad id sibi præparatam incidere. *Apud Dion. Cassium in*
lib.

30 *lib. 51. hist. Rom. p. 452.* Nulli enim fidelio-
 strarunt in herilibus infortuniis quàm Spadones. Xenophon
in lib. 7. de Padiâ Cyri p. 135. qui etiam propterea omnes, qui
 Regii corporis curam gererent, ut idem Xenophon auctor
 31 est, Spadones fecit. Huc faciunt illa apud Tavernier *in ap-
 pendice Itinerar p. ult.* Denn allein sechs der **Vornehmsten**
Berschnittenen / da der König hingelegt worden / wissend ist /
 dieselbe müssen einen **End** thun / solches die **Tage** ihres Lebens
 nimmermehr zu offenbahren. Ingens enim auri, argenti alia-
 32 rumque rerum pretiosarum copia ibi deponebatur. Et ca-
 stratis Cubiculariis Principes olim Romanos usos fuisse, quos
 Eunuchos plerique dici putant à *cubiculo custodiendo*, quod
ἐξευ etiam *custodire* significet, ex Ambrosio, Socrate atque
 aliis probat Cujacius *ad leg. 4. Cod. de prefect. prat. in Tom.*
3. Oper. p. 1553. Conf. L. penult. C. de prepos. Sacri Cubic. ibi:
Eunuchum Sacri Cubiculi ministeriis adbasurum. Junge Carol.
 du Fresne *in Glossar. med. & infimæ Latinit. Tom. 2. voc. Eunu-*
 33 *chus.* Huc referimus Eunuchum Eutropium, qui *Consularem*
 dignitatem est nactus; Ille quidem, qui Nicephoro teste *lib.*
13 Histor. Eccles. c. 4. auctor Imperatoribus fuit, ut legem fer-
 rent; *ne quis ad Ecclesiam confugeret: quodsi quis ad eam con-*
fugisset, & supplex DEO factus esset, atque in templis metus
causa versaretur, ut exinde extraheretur. Quò nomine *Di-*
vus Chrysostomus graves cum eo inimicitias exercuit. Cum
 verò ipse non multo post Eutropius iram Principis fugiens sub
 altari jaceret, publicè in ambone à Chrysostomo redargutus,
 Divino judicio factum est, ut eò, quò abstulerat, auxiliò ipse
 indigeret. *Vid. Otto Episcopus Frisingens. Henrici IV. ex*
filiò nepos in lib. 4. Chronic. cap. 19. Cujus posthac, sum-
 ptò ab eò supplicio, nomen ex Catalogo Consulum expun-
 ctum legemq; istam ex publicis monumentis sublatam fuisse,
 tra-

trahit commemorato loco Nicephorus. *Vid.* tamen Comment. Joh. Cuspiniani in Aurelii Cassiodori Consules, qui Eutropium jungit Valentiniano III. *p. m. 518. ad ann. Christi 387.*

Cum verò *alia* sint Reipub. munia, quæ publico quodam 34
 caractere munita publicam primariò salutem & tranquillita-
 tem respiciunt, *alia* publico caractere & prærogativa destituta,
 ad privatorum utilitatem accedente publicâ confirmatione
 principaliter directa. Thomas Jones Jctus Oxoniensis in
Prolus. Academ. in Cap. An fœmina gentium moribus possint esse
Judices §. 4. p. 104. Eunuchi verò istius generis muneribus, ut vidi-
 mus, præficiantur, quidni & his privatorum potissimum emolu-
 menta solùm spectantibus, *ut scilicet Tutores atque Curatores esse* 35
queant? Imò tantum abest, eos ad hæc munia admitti non posse,
 ut potius si esse nolint, excusatio ista sola, quia Spadones, quia
 Eunuchi aut Castrati, quos inter quoad tutelam recipiendam
 nulla est differentia secundum *Gloss. ad l. 1. Cod. de Excus. Tut.*
 non sit legitima, juxta Divorum Severi & Antonini constitutio-
 nem *ibidem* & Modestinum in *l. 15. ff. eodem.* Nimirum quia 36
 adversa valetudo aut vitium corporis, regulariter non, vel sal-
 tem non omne excusat, sed tale sit, necesse est, ut quis pro-
 pterea *propriis alienisque negotiis superesse non possit, l. non*
solùm in fin. ff. eodem. Franciscus Duarenus *ad d. tit. ff. Cu-*
jacius ad d. tit. 15. v. c. Luminibus captus, surdus, mutus, fu-
 riosus perpetuusquè valetudinarius. *l. un. C. qui morbo se excus.*
 qui etiam excusationem quidem vocabulo tamen hoc abusivè
 in *d. l. un.* sumpto habere dicuntur, cum ipso in jure ab ejusmo-
 di muneribus immunes sint. *Vid.* Hugo Donell. *lib. 3. Comm.*
Jur. Civil. c. 9. p. 108. Consequens est, secus se rem habere in
 aliis, v. c. in eo, qui uno oculo captus *l. 9. Cod. de excus. Tut.* &
 his similibus; quibus defectus aliquis membrorum non im-
 pedit rerum gerendarum facultatem, quod & in Eunuchis atq;

L

Spa-

Spadonibus obtinere non facile quis negaverit. Huc non im-
 37 meritò facere videntur ista, quæ apud Xenophontem *in d. l. 7.*
 „ de *pediâ Cyri p. 135.* reperio: Quod autem, *inquit*, maximè
 „ aliquis putet, Spadones robore corporis carere, ne hoc qui-
 „ dem Cyro videbatur: quippè qui conjecturam faceret, ex
 „ aliis animalibus, quod & contumeliosi equi, ubi excidantur,
 „ à morfu contumeliâquè cessant, nihilo tamen minus sunt
 „ bellicosi; & tauri excisi animi elationem inobedientiamquè
 „ dimittunt, sed corporis viribus & usu colendi agri non pri-
 „ vantur, Et canes item eodem modo si excidantur, ces-
 „ sant à relinquendis heris, sed ad custodiam & ad venationem
 „ nihilo sunt deteriores, & homines itidem quietiores fiunt,
 „ si hac priventur libidine, sed minimè negligentiores circa
 „ imperata neque minus equitandi studiosi, neque ad jacu-
 „ landum minus apti, neque ambitiosi minus: perspicuumquè
 „ est & in bellis & in venationibus eos pertinaciam in animis
 „ servare *H. I.* Atque ejusmodi strenui Bellatoris famam con-
 38 secutus est apud Turcas *Bassa Hally Eunuchus*, cui quod uni dem-
 ptum erat corpori additum animo. *Vid. Aug. Gislén. Busbe-*
quius epist. 3. legat. Turcica pag. 143. & Thuanus lib. 17. Hist. ad
 39 *ann. 1556. p. m. 540.* Narsetis Eunuchi, qui magnis rebus ge-
 stis ingens sibi toto orbe terrarum nomen pepererat, memi-
 nit Paulus Æmylius *in vita Chereberti pag. m. 12. lit. H.* quem à
 Justinii II. Uxore, Augusta Sophia contumeliosè ob id appella-
 tum, inque Gynæceum ubi pensa cum mulierculis traheret
 invitatum, volunt nonnulli; juxta istud Claudiani:

*Tu telas non tela pati, tu stamina nôsse,
 Tu segnes operum solers urgere puellas
 Et niveam Domina pensis involvere lanam.*

Respondisse autem Narsetem: fila quidem se ducturum, sed
 iis talem telam intertexturum, qualem ipsa dum viveret, rete-
 xere

xere non posset; *vid. Aventin. lib. 3. Annal. Bojor. n. 49.* Verum inter fabulas narrationem hanc numerandam esse, quas cum nulli ejus temporis Scriptores agnoverint, primo Aquiloni tradendas in mare longo terrarum tractu submotum deportandas desiderat Franciscus Gvinetis in Justiniano Magno *cap. 12. §. fin. p. m. 164.*

Ceterum cum Paulo Montano *in tr. de Tutel. & Curat. c. 23. 40 n. 9.* maximè idoneos Eunuchos haud statuero tutela puellarum, quasi in iis omnis mala corrumpendi suspicio cesset, perinde ut nec *Monialibus* cum Gudelino *suprà*; ex adverso enim suo autem loco demonstratum est, pruritus non rarò in illis exsurgere, & ad lascivos amplexus eos impatienter ferri. *Vid. Muretus lib. 10. var. Lectio. Cap. XI.* Comprobat id suo quoq; exemplo Regis iste Babylonæ Eunuchus, qui cum Regiis pelli-⁴¹ cibus cubans ἐν ἑργῶ, ut cum Solone & Dracone Ulpinianus loquitur *in l. 23. pr. ff. ad L. de Adult.* deprehendebatur, de quò videatur Philostratus *lib. 1. de vitâ Apollonii.* Atque hinc an satis cautè factum, quod Eunuchos in Palatio balneas foemi-⁴² narum curare voluerit Alexander Severus, subdubito. *Vid. Ælius Lamprid. in Alex. inter Aug. Hist. Script. in Tom. 2. p. 212.* Quapropter etiam in adulterio deprehensos aliquando totius⁴³ virilitatis amputatione, aliquando mortis supplicio uli sunt Turci. *Scaliger Exercit. 104. §. 147. n. 7.*

Non immeritò tandem infausta Eunuchos quandoque ex-⁴⁴ cepisse fata in calce hujus capituli notamus. *Julianum* Palatio eos expulisse, omnibusquè honoribus privasse. *Theodosium* legem tulisse, ne quis Eunuchus Patriiâ dignitate ornaretur ex Cedreno observat Perez *ad tit. C. de Eunuch. n. 4.* Alexander Severus de ministerio suo eos abjecit, & cum plerosquè Eunuchos rationibus & procurationibus præposuisset Heliogabalus, is illis & veteres sustulit dignitates. Eos, quos Helio-

84 CAP. V. DE JURE SPADONUM EUNUCHORUMVE
 balus & in consiliis turpibus habebat, & promovebat, donavit
 amicis addito elogio, ut si non redissent ad bonos mores,
 eosdem liceret occidi sine auctoritate Judicii. uti est apud
 Aelium Lampridium *d. l. pag. 212. § 215.*

CAPUT V.

DE JURE SPADONUM EUNU-
 CHORUMVE CIRCA ADOPTIONEM.

SUMMARIA.

<i>Rationem differentia, cur Spado-</i>		<i>trahere, nec prohibentur ado-</i>	
<i>nibus adoptare liceat, castratis</i>		<i>ptare.</i>	9
<i>secus, invenire, difficile judicat</i>		<i>Wagenseilii de nuptiis Eunuchor-</i>	
<i>Franc. Connanus & alii N. 1. 2</i>		<i>rum sententia.</i>	10. 11
<i>Unde hoc natum?</i>	3	<i>An moribus adoptio obtineat?</i>	12
<i>Theophili Paraphrasis.</i>	4	<i>Quem in finem adoptio inven-</i>	
<i>Donelli hâc in re sententia & ar-</i>		<i>ta?</i>	13
<i>gumentum.</i>	5. 6	<i>Leo Imperator omnibus Eunuchis</i>	
<i>Ciceronis sententia & Connani in-</i>		<i>Jus adoptandi concedit.</i>	14
<i>terpretatio.</i>	7. 8	<i>Bacchovii itemque Georgii Schul-</i>	
<i>Moribus, quicumque Eunuchorum</i>		<i>zii sententia.</i>	15. 16
<i>non prohibentur nuptias con-</i>			

1 **S** Imperator Justinianus in §. 9. t. J. de Adoptionibus. Eos, qui generare non possunt, quales sunt Spadones, adoptare posse adserit, castratos autem non posse. Rationem hujus distinctionis invenire, difficile judicat *Franc. Connanus*, quod nulla causa esse videatur, cur in Spadonibus aliud quam in Castratis statuatur in *lib. 2. Comment. J. C. cap. 15. §. 206.*
 2 Nam & plerisque Interpretibus loci istius explicatio adeo fuit difficilis, ut, nescio, ait *Christophorus Riccius*, quibus tandem divinatiunculis ac conjecturis eundem obfuscarint in *vindic. Jur.*

Jur. premiss. c. 4. in pr. quod fortè & inde natum, quod in Florentina edit. *in l. 2. §. 1. ff. eodem* posteriora verba: *Castros non posse* planè omiſſa ſint, quamvis, cum in vulgata ſint, etiam Bacchovii judicio rectè retineantur *ad p̄w̄ta ad 1. de Adopt. p. 233. n. 12.* Hæc videlicet diffidia & difficultates 3 ex varia vocom Spadonum, *Tblaſtarum, Tblibiarum, &c.* interpretatione exortas eſſe, doctiores quique cenſuerunt, *Theophilus* præmiſſa harum vocom explicatione, circa quam 4 ſuprà quædam notavimus; *Quibus*, inquit, (ſermo ipſi eſt de *Tbliis & Caſtratis*) *natura negavit liberos gignere, bis neque Jus Civile, quod natura veſtigia ſequitur, conceſſit. Cum ne ſperare quidem poſſint, ut liberis unquam dent operam. At Spado, quoniam is ſperare poteſt, ut vitio, quo tenetur, ceſſante liberos poſſit gignere, rectè in adoptionem accipiet tam filium-familias quam Patrem-familias.* Non ſecus Hugo Donellus 5 illos, qui in perpetuum generare prohibentur, arceri quidem ab exercendo adoptionis actu ſtatuit, minimè verò, ſi qui horum ſint, qui pro tempore generare non poſſunt, aut quos certum non ſit in perpetuum generare non poſſe, eò, quod tales ſint, in quibus vitium iſtud generationi impedimenta ponens vel arte corrigi vel tempore mutari poſſit, & ſæpè ſoleat *in lib. 2. Comment. J. C. c. 22. pag. 110. n. 20.* Sufficit enim potentia, quæ quandoq; in actum poſſit deduci. *Oſwald Hilliger ad d. c. 22. lit. C.* Sed & iſtud pro adducenda ratione differentię non immeritò placet *d. l. Donello;* quòd nimirum impedimentum illud in Spadonibus ſaltem ſit perſonæ non naturæ. Inde *in lib. 13. cap. 19. §. 196. pr.* ita argumentatur: ſi adoptio naturam imitatur, ut dicitur imitari, *in §. minorem Inſtit. de Adopt.* rectè hinc colligas: ſi quid hic prohibetur in adoptione exemplo fieri & imitatione naturæ ac proinde prius eſſe, ut in naturâ prohibeatur. *H. I.* Hoc autem unde intelligi 7

possit, fortè ex Cicerone cognoscemus, qui in orat. 29. quæ est pro Domo sua ad Pontifices hanc unam dicit fuisse in adoptionum legibus causam, ut is adoptet, qui neque jam procreare liberos possit: *Et cum potuerit, sit expertus.* Unde sic colligit Connanus d. l. Ex quo, inquit, videtur, non potuisse adoptare, qui nunquam duxerat uxorem. Quod enim cum lex expertum aliquando fuisse desiderat, id honestati conjungendum est, ut eo modo, quo lex & justitiæ ratio concedit, expertus sit. Et ita Paulum cum ait: Et qui uxores non habent filios adoptare possunt; interpretabimur, ut isti possint adoptare dummodo uxores aliquando habuerint. *H. I.* Ex dictis concludimus, moribus eos inter Castratos atque Eunuchos non prohiberi quò minus adoptent, qui non prohibentur quò minus uxorem ducant; quales autem hi sint, suprà ostendimus in *Cap. III.*

10 Quam in rem ex Joh. Christoph. Wagenseil in *Mischne cap. 4. p. 584.* in quem auctorem typis jam expressum capite isto III. incidi, huc quædam, quæ non ingrata B. L. fore confido, transcribam: Hem, inquit, quid hoc rei est? Siccine Eunuchi uxores ducunt? Enimverò num id fas sit, inter clari nominis Theologos & Jctos Germaniæ nostræ disputatum nuper est acerrimè, & pars pro affirmante, pars pro negante sententia pugnavit. Nolo arbiter intervenire ipsorum liti citra Quiritium suffragia, tolerabunt tamen, credo, benignè ii, qui cum Eunuchis conjugia tanquam nefaria rumoribus differunt, momentem me, aliter Judæorum Magistris visum fuisse. Ubi ex

11 Mosis Kozensis præc. Affirm. XLVIII. hæc adfert: *Mente captus si despondeat sibi mulierem sanam, aut homo sanus si despondeat sibi mente captam, non hæc ulla ratione sponsalia sunt, siue Legem Divinam, siue Magistrorum placita attendamus, ceu ostenditur in Jebamot. cap. 14. At si Eunuchus seu solis seu hominis, itemquè si infœcunda sponsalia, ea legitima censerentur,*

debent, subjungit rationem, quia apud plerasque Gentes maxime verò Hebraeos receptum, ut consensus & affectio conjugalis faciat conservetque matrimonium, non concubitus. Hæc per digressionem; jam ad ea, ubi substitimus. Diximus nimirum & Castratos, quia non arcentur à matrimonio, nec arceri ab adoptione moribus; quasi moribus adhuc Adoptio obtineat? 12 Scilicet non sentimus cum Batavorum Winnio & Groenvvegen ad rubr. Instit. de Adopt. aut Gallorum P. Ærodiolib. 2. rerum judicat. tit. 6. c. 1. atque P. Gregorio Tholosano lib. 10. Syntagm. J. C. ult. qui partim nullum, partim non pristinum adoptioni relinquant usum, necdum enim eam exolevisse, utut exemplorum frequentia ostendi non possit, rectè docet Egvinarius Baro ad t. J. de Adopt. & alii. Quippe ad conservandam Generis & 13 Hominis memoriam adinventæ, hoc namque juris habet quisque Paterfamilias, ut si natura non potest, adoptione sibi liberos procreet. Franc. Connanus d. l. 2. cap. 15. p. 203. Magno nimirum Rerumpublicarum commodo adinventæ sunt adoptiones, quæ vel malignitati, vel sterilitati naturæ subsidio occurrerent: ut si vel malos natura vel nullos daret, aliquos nobis possemus filios, eosque bonos & familiam nostram dignos eligere. Planè Leo Imperator in Nov. 26. & 27. omnibus adoptan- 14 di potestatem facit, etiam qui Viri facultate orbatii sunt, quod par sit, misereri eorum, qui injuria affecti generandi facultate privati sunt. Non enim, quia hoc incommodo, ut natura Patres esse nequeant, Eunuchi affecti sunt continuo, idem incommodum lege augeri oportet, sed è diverso ejus rei defectum alio modo compensari non prohibere longe magis par est. Nec immeritò ex Bacchovii æquitatem respicientis opi- 15 nione cum etiam in his sit utique facultas γεννιτικη, quam ne in actum deducere possint, injuria hominum prohibuit, cui refarciendæ tantò magis jus adoptandi concedendum erat,

ut

88 CAP. VI. DE JURE SPADONUM EUNUCHORUMVE
 ut saltem successorem nominis & bonorum habere possent,
supr. c. l. n. 12. alioqui injuria ista ex Legis prohibitione in mi-
 seris his hominibus cumlaretur. Idem *in not. ad Paratit. We-*
sembecii n. 4. & ad t. J. d. t. §. 9. Concludimus cum Georgio
 16 Schultz *in Synopsi Instit. ad t. ff. de Adopt. lit. b.* Hodie, quin
 11 Castrati iis locis, in quibus adoptionis jura adhuc vigent, ado-
 ptare possint, non dubitatur.

CAPUT VI.

DE JURE SPADONUM EUNU-
 CHORUMVE CIRCA ULTIMAS VO-
 LUNTATES.

SUMMARIA.

<i>An Spadonibus & Eunuchis jus</i>	<i>Quae aliae dubitandi rationes?</i>	10
<i>condendi testamentum compe-</i>	<i>An & illa, quod Eunuchi non pe-</i>	
<i>tat?</i>	<i>rinde, ut alii pubescant?</i>	11
N. 1		
<i>Spadonibus Eunomianis Hereti-</i>	<i>De Inspectione corporis remissi-</i>	
<i>cis quondam non competit.</i>	<i>ve.</i>	12
2		
<i>Eunomiani ab Eunomio Aëtii Di-</i>	<i>Impedimentum Generationis non</i>	
<i>scipulo sic dicti.</i>	<i>obstat facultati ultimum elo-</i>	
3	<i>gium condendi.</i>	13
<i>Inter alias opiniones hereticas</i>	<i>Castratione non tollitur Civitas</i>	
<i>etiam testes amputandi licen-</i>	<i>nec ideo quis redditur intesta-</i>	
<i>tiam statuerunt.</i>	<i>bilis.</i>	14
4		
<i>Exules esse jubentur.</i>	5	
5	<i>Nisi cum Genutio sponte se quis</i>	
<i>Testamenti factio activa & passiva</i>	<i>castraverit.</i>	15
<i>iis interdicitur.</i>	6	
6	<i>Castratus posthumum instituere</i>	
<i>Mox restituitur.</i>	<i>nequit.</i>	16. 17. 18.
7	<i>Commendatur Duarenus.</i>	19
<i>Potestas ultimam condendi vo-</i>		
<i>luntatem etiam de jure Justi-</i>		
<i>niano Eunuchis concessa.</i>		
8		
<i>Inconveniens Glossatoris dubita-</i>		
<i>tio.</i>		
9		

Spa-

Spadonibus atque Eunuchis nunquam ademptam fuisse te-
 stamenti factionem, nullam hæsitationem patitur, exque
l. 6. ff. de liber. & posthum. heredib. satis colligi potest.
 Nisi, quod Spadonibus Eunomianis, Hæreticis, ac Sectæ ne-
 quissimæ juxta *l. 25. C. Theod. de Hæretic.* testandi facultatem
 Imperatores aliquando concessam mox ademerint, mox ite-
 rum reddiderint. Nomen illi habent ab Eunomio, Discipulo
 Aëtii Antiocheni Hæretici, de quo Ruffinus *lib. 2. c. 25.* quòdfue-
 rit corpore & animo leprosus, & interiùs exteriusq; morbo regio
 corruptus; Et qui Theodoro Auctore *lib. 4. Hæretic. fab.*
 dicere non fuit veritus, nihil se ex rebus Divinis ignorare,
 sed ipsam etiam Divinam Substantiam exactè novisse eamque
 de DEO habere cognitionem, quam de se ipso haberet ipse
 DEUS. Hoc, *inquam*, genus Hæreticorum præter horrendam
 blasphemiam, quâ Filium DEI æquivocè duntaxat DEUM di-
 ci uno cum Arrianis ore, à quibus in aliis capitibus in Synodis
 ad id coactis nihilominus tanquam Hæretici condemnati, con-
 tenderunt, ut habet Nazianzenus *orat. 3. de Theolog.* aliaque
 opinionum portenta *etiam plerumque Virum sibi execrare sole-
 bant.* Vid. Cujacius *ad t. C. qui Testam. facere poss. in tom. 3.
 Oper. p. 678. med.* Inde Doctores Auctoresque eorum inve-
 stigari, maximè Clerici, quorum furor ejusmodi svasit errores,
 ex Civitatibus pelli extorres & humanis cœtibus segregari ju-
 bentur ab Impp. Arcadio & Honorio *in l. 31. 32. 34. & 36. C.
 Theodos. de Hæretic.* Inter alias autem in allegatis legibus sta-
 tutas poenas, Eunomianis Spadonibus *nec faciendi, nec adipi-
 scendi testamenti licentia* relinquitur à Valentiniano, Theodo-
 sio & commemorato Arcadio *in l. 17. & l. 25. d. 1.* Qui ta-
 men benigniora posthæc fata ex eorundem Divorum Con-
 stitutionibus experti, uti apparet *ex l. 23. ibid.* quâ sic consti-
 tuerunt: Eunomianis, ne caperent aliquid vel relinquerent

M

te-

90 CAP. VI. DE JURE SPADONUM EUNUCHORUMVE
testamento, legem dudum credidimus promulgandam: quam
quidem nunc consilio pleniore revocamus. Vivant jure com-
muni, scribant pariter ac scribantur hæredes. Et in l. 27. con-
ficiendorum testamentorum dari Eunomianis præcipimus po-
testatem & concedi id, quod Divi Genitoris nostri data nu-
per præceptio continebat. Item in l. 36. Eunomianis poenas
adimendæ testamenti factionis peregrinorumque mutandæ
conditionis remittimus. Has verò constitutiones durioribus
istis esse posteriores, ex subscriptione earum & Fastorum Con-
sularium inspectione liquet. Confer omnino, quæ ad leges
allegatas notavit Jacobus Gothofred. in C. Theod. Tom. 5.

8 His accedit Jus Civile, quod testamenti condendi pote-
statem nulli prorsus Eunuchorum adimit l. 5. C. qui test. fac.
poss. Dubitatum tamen de iis fuisse crediderim, quia specia-
9 liter hæc de re cautum, non sanè ideò, quod Eunuchi testes
non habeant, quos testamentum requirat, quam dubitandi
rationem ad d. l. 5. inaccuratè suggerit Glossator; quod alios
inter etiam Limnæus notat in lib. 2. Jur. Publ. c. 2. n. 26. Sed
10 fortè (1.) quia nec viri nec foeminae, sed tertium genus ho-
minum habiti, uti ex Cœlio Rodigino d. l. Limnæus & ex aliis
demonstrat Osvaldus Hilliger in Donell. lib. 6. comment. c.
5. lit. p. Jungi hic possunt, quæ in hanc rem supra in Cap. 3.
11 adduximus (2.) quia non ut cæteri pubescunt juxta Paulum
in lib. 3. sentent. tit. 4. §. 2. Atque hinc de eo potissimum
dubitatum fuisse Cujacius rectè contendit ad tit. C. qui te-
stam. fac. poss. d. pag. 678. & Barry lib. 1. de success. tit. 7. n. 10.
à qua ætate Eunuchus posset facere testamentum, an à XVIIIvò
demum anno, quò juxta Paulum in allegato loco plerique pu-
bescunt, an exemplo cæterorum h. e. XIVto. Et olim qui-
dem iis non licuisse ante XVIIIvum, posthàc verò exemplo cæ-
terorum constat. Cujacius ad d. leg. & ad loc. Pauli in tom. 1.
Oper.

CIRCA ULTIMAS VOLUNTATES.

Oper. pag. 448. ad l. 6. ff. de lib. & postb. hered. in tom. 2. p. 690. 91
 ad l. 128. de V. S. in d. tom. 2. pag. 1704. & ad lib. 3. Feud. t. 13. in
 fin. in tom. 3. p. 1863. Quæ alioqui de inspectione corporis 12
 circa pubertatem juxta pr. t. f. quib. mod. tut. finit: hâc occa-
 sione dici solent, exposita à nobis sunt in Disput. de Jur. Illu-
 strum & Privatorum circa veniam atatis §. 21.

Omniñò autem ne conderent testamentum Eunuchi, Jus
 Civile non prohibuit. Quippè non refert, quod Eunuchi 13
 generare nequeant. Filiorum enim gratiâ non est introductus
 testamentorum usus, quum liceat & liberos, quos habemus, ex-
 heredare & omnino extraneos instituire. Quin imò filiorum
 orbitas prima testandi fuisse videtur occasio, ut quibus natura
 proprios heredes non dedisset, ii sibi possent testamento adsciscere
 alienos, in quibus perinde ac in filiis reviviscerent juxta Fran-
 cisc. Connanum lib. 9. comment. Jur. Civil. c. 4. n. 8. p. 973.
 Nam & (1.) castratione non desinunt esse Cives Romani, nec 14
 (2.) propter vitium videntur esse intestabiles, nihil enim de-
 liquerunt, qui inviti castrati sunt; quas rationes Donellus ad-
 ducit in comment. ad d. l. 5. C. p. 351. Secus ergo, si suâ quis 15
 sponte genitales sibi corporis partes ademerit, is enim legum
 beneficio indignum se reddidit cum Genutio supra jam alle-
 gato, quem ex Valerii Maximi lib. 7. c. 7. Neviani liberti hæ-
 reditate propterea excidisse constat.

Quod autem juxta suprâ dicta in l. 5. C. qui testam. fac. 16
 post. constitutum est de Eunuchis, eos componere posse po-
 stremas exemplo omnium voluntates, salvâ testamentorum
 observantiâ, id non prorsus indistinctè intelligendum est: si-
 quidem Spado etiam posthumum hæredem instituere potest,
 quia nec ætas nec sterilitas ei rei est impedimento, Castratus 17
 posthumum instituendo nihil agit l. 6. ff. de lib. & postb. hered.
 Quod & in Codicem Henrici IV. Gall. Regis transtulit

92 CAP. ULT. DE JURE SPADONUM EUNUCHORUMVE
 Thomas Cormerius *in lib. XX. cap. 10. n. 113.* Quamobrem
 posteriore testamento, quo Castratus posthumum instituit,
 18 superius non rumpitur. *Conf. Cujacius ad d. l. nam perin-*
de esset, acsi Chimæram instituisset, quæ non potest esse, cum
nulla speretur nativitas. Franc. Duarenus ad t. ff. de lib. &
postb. sub rubr. Qui posthumos instituere possit p. 349. Atque
 huc facit, quod *per l. 4. C. de Preposit. Sacr. Cubic. testamen-*
 19 *tarium quidem hæredem habeat, non verò omninò legiti-*
um i. e. ab intestato successorem. Clarè & perspicuè hanc
in rem d. l. Duarenus: stultum, inquit, esset & nugatorium,
 institui posse posthumum ab eo, cui exsecta sunt virilia, quia
 liberos procreare non potest. Is enim, qui posthumum insti-
 tuit, instituit ex se nasciturum. Ergo cum certum sit, filium
 ex eo nasci non posse, stultum esse diceretur, eum posse hæ-
 redem posthumum instituere.

CAPUT ULTIMUM.
 DE JURE SPADONUM EUNU-
 CHORUMVE CIRCA SUCCESSIONES.

SUMMARIA.

<p><i>In successione paternâ apud He-</i> <i>bræos distinguitur inter libe-</i> <i>ros ratione sexûs & ratione</i> <i>integritatis corporis. N. 1</i></p> <p><i>Et videndum præter qualitatem</i> <i>patrimonii, an isti soli sint,</i> <i>an cum iis, qui sexûs sunt du-</i> <i>bii, concurrant? Sc. 2</i></p> <p><i>Hæredes esse possunt Eunuchi de</i> <i>Jure Civili salvis exceptioni-</i> <i>bus. 3</i></p>	<p><i>In feudalibus dubitatur de suc-</i> <i>cessione Eunuchorum. 4</i></p> <p><i>Castrati jure militare non posse</i> <i>videntur. 5</i></p> <p><i>Responsio ad objectiones. 6. 7</i></p> <p><i>Feudâ etiam extra Europam ob-</i> <i>tinent, quod probatur per Ta-</i> <i>vernier & Dapperum. 8. 9</i></p> <p><i>An inter faminas referendi Eu-</i> <i>nuchi? 10. 11</i></p> <p><i>Et femina servitia militaria præ-</i> <i>stant, 12</i></p>
---	--

CIRCA SUCCESSIONES.

	93
<i>stant, quod etiam in feminis</i>	<i>Quod evenit in femina.</i> 17
<i>Monomotapanis est manifestum</i>	<i>Item in Clerico.</i> 18
<i>ex Pigafetta.</i> 12. 13	<i>Religiosi Parisienses quemadmo-</i>
<i>Item ex Domino von der Grö-</i>	<i>dum se gesserint in militum</i>
<i>ben.</i> 14	<i>morem adversus Henricum Na-</i>
<i>Servitorum militarium presta-</i>	<i>varra Regem?</i> 19
<i>tio non est de naturalibus in-</i>	<i>Quando quis ad successionem feu-</i>
<i>ternis Feudi.</i> 15	<i>dalem ob imperfectionem ali-</i>
<i>Hinc conventionem remitti potest.</i>	<i>quam non admittatur?</i> 20
16	

Hebraeorum quidem Jura, cum primis ratione *successionis* 1
paterna si intueamur, *distingui* advertemus inter masculos & foeminas, qui *integro sunt corpore*, & eos, qui aut *sexus dubii* sunt, aut *utriusque*; si illi *soli* sint, vel patrimonio 2
latis opulentum est relictum & filii hoc casu jure hereditario succedunt, filiabus alimenta sufficiunt; vel res *angusta*
domi, & Patrimonium alendis filiis & filiabus impar, & eo casu alimenta capiunt filiae, ac ostiatim filii mendicant; nisi filios inter unus reliquerit viduam, atque tunc, ne viduae honesta deessent alimenta, & filii ab ea excluduntur & filiae. Sin
 vero isti *concurrunt* cum iis, qui *sexus* sunt dubii, h. e. quibus genitalia ita obstructa, ut mares an foeminae sint, non constat, qualis *Tomtom* vocabatur, aut cum iis, qui *utriusque* sunt
sexus, ut Hermaphroditi, in amplo satis patrimonio, quod filios heredes habet, relictis filiabus solum alimentis & Tomtom, & Hermaphroditus tantum in filiabus censetur, in *angusto*,
 unde filiabus vix alimenta sufficiebant, in filiorum, qui ad mendicos relegabantur, jure constituuntur, quod & obtinebat, si praeter obstructum & Hermaphroditum, quibus alimenta tantum porrigebantur, soli filii essent relictis, nisi ubi nullus alius filius *sexus* videlicet integri ac manifesti, quo casu & obstructus & Androgynus seu Hermaphroditus succedebant,

M 3

fo.

94 CAP. ULT. DE JURE SPADONUM EUNUCHORUMVE
soli, si filia nullæ, ut coheredes, si filia quoque relicta. Vid.
prolixius Seldenus de successiomb. ad L. Ebraorum cap. IX. &
cap. XI.

3 De Jure Civili autem nullum esse dubium existimo, quin
ad successionem hæreditariam admittantur Spadones atque
Eunuchi, modò non sint Hæretici. *Nov. 144. cap. 1. Apostatae*
l. 3. C. de Apostat. Liberi incestuosi. Novel. 89. c. fin. Mem-
bra Collegii illiciti. L. 8. C. de hered. instit. & in universum ex
iis, qui in specie prohibentur, quò minùs hæredes scribantur.
Id verò non refert, quod fortè servi sint, eò ipso enim,
quo hæredes scribuntur à Dominis suis, libertatem conse-
quuntur.

4 In Feudalibus verò dubitari omninò potest, quippè com-
munis feudorum ratio exigit obligationem ad servitia milita-
ria, quæ aliàs ad naturalia Feudi *Externa* referuntur *2. F. 55.*
Andr. Kohl de Servit. Feudal. part. 4. n. 90. Struv. cap. 2. Syn-
tagm. J. Feudal. lb. 7. adeoque subjectum desideratur ad mi-
5 litandum non incapax per J. F. notissima. Eunuchi autem atq;
Spadones, Castrati scilicet jure militare nequeunt *arg. l. 2. ff.*
de Re milit. ubi Arrius Menander: Qui, inquit, cum uno te-
sticulo natus est, quive amisit jure militabit secundum Divi Tra-
jani Rescriptum: Nam & Duces Sylla & Cotta memorantur eo
habitu fuisse natura. Ad quæ *Aegidius Menagius; si enim,*
ait, quibus ambo testiculi exsecti sunt, militare jure potuis-
sent, causæ non erat, cur id de eo quæreretur, qui unum ami-
sisset, quive cum uno natus esset in amœnitat. J. Civil. c. 40.
quò & facit illud *Claudiani in Eutropium Eunuchum:*

Arma relinque Viris.

6 Verùm *respondemus:* Nec ibi locorum, ubi ingens Eunuchor-
rum est copia & feudali successioni locus conceditur, scriptum
7 reperiri, à successione hac Eunuchos arceri. Non autem aliis
etiam

etiam extra Europam Populis incognita esse Feuda, liquet ex
 ex iis, quæ habet Tavernier in der Oriental- Reisebeschrei-
 bung *part. 3. p. 1.* in dem Bericht von Japan *ibi.* Und son- 8
 derlich diejenigen / welche an das Land Jesso stossen / dessen In-
 wohner der Japaner Vasallen und ihnen Tribut geben müssen.
 & *pag. 2. col. 2. ibi.* Von sieben zu sieben Jahren schicket der
 Kånser durch einen der vornehmsten Fürsten seines Hoffes dem
 Dairy ein Körblein mit Erden gefüllet / mit Befehl neben
 Darreichung dessen ihm zu bemelden / daß alle die Lande / wel-
 che der Kånser besitze / dem Dairy zuständig seyen. Gemina 9
 ferè habet Dapperus *in descript. America lib. 2 c. 7. sub descript.*
Insula Hispaniola p. 182. col. ibi. Der König hatte sich endlich /
 indem er keinen Abschlag erwerben können / mit der Flucht nach
 der Landschaft Ziguaios zu / derer Landes Herr sein Lehning
 war begeben. Penes hos verò ac similes Scriptores altum de
 exclusione ab eiusmodi successione est silentium. Nec ob- 10
 stat quod in foeminarum numero habendos esse Eunuchos exi-
 stimaverit antiquitas, uti auctor est Cypræus *part. 1. de Jure*
Connub. cap. 9. §. 13. n. 21. p. 415. adeoq; pari cum iis jure cen-
 seri, ac à feudorum successione regulariter excludi debeant.
1. Feud. §. 2. R. plus debere esse in rei veritate, quàm quod est
in opinione. l. 2. §. 2. ff. pro empt. Non enim sequitur: Fœmi- 11
 nis accensentur, quia, quod Virorum alioqui proprium est,
 castratione amiserunt, ergò planè extra numerum masculo-
 rum, quorum conditio in multis juris articulis melior est quàm
 foeminarum *l. 9. ff. de Stat. Hom.* ponendi? Insignes enim in-
 ter Eunuchos extitisse & Ecclesiæ Ministros, & Heroës stre-
 nuos atque fortes, suprà demonstratum est. Fœminas tamen, 12
 posito his illos adnumerari debere, etiam servitia militaria,
 utut infrequens sit, ac propterea jura parùm attendant *l. 3. §.*
l. 4. ff. de LL. præstare posse, ex iis liquet, quæ Philippus Pi-
 ga-

gafetta interprete August. Cassiodoro Reiniio in lib. 2. Relationis Congiana cap. 9. p. 54. de Fœminis Monomotapanis habet:
 „ Rex, inquit, magnum semper alit exercitum -- Bello etiam
 „ mulierum opera utitur, quæ milites se præbent ipsis viris
 „ multò cordatiores. Amazonum hæ antiquarum more si-
 „ nistram mammam exurunt, ne in emittendis sagittis ali-
 „ quid ferant impedimenti. Arma eorum sunt ut & viro-
 „ rum, quibus utuntur, magnâ dexteritate tantâque constan-
 „ tia, ut mortem potius expectent, quàm se loco moveri pa-
 „ tiantur -- Propriam Provinciam Regis permisso solæ habitant:
 „ Viros certo anni tempore ad se intromittentes, & si ma-
 „ sculum fuerint enixæ, viris eum remittunt; si verò fœmel-
 „ lam, exustâ sinistrâ mammâ omnibus artibus militaribus
 74 instruunt. Paria ferè sunt, quæ Generosus Dominus Otto
 Friedrich von der Gröben multis peregrinationibus inclutus
 in der Orientalischen Reisebeschreibung cap. 4. sub descript. Regni
 Candia pag. 63. adducit. Ich habe mich auch glaubwürdig be-
 richten lassen / daß in dieser Insel Milo keine Männer / son-
 dern nur lauter Weiber wohnen / welche sehr schön seyn / und
 eine sonderliche Tracht haben sollen / die auch Kinder zeigen
 mit allen Frembden / so dahin kommen / welche aber nicht über
 2. Tage alda bleiben müssen. Es wollen viel davor halten /
 daß diese Weiber ein Nachbleibsel der Amazonen seyn / welche
 zur Zeit Alexandri M. mit ihren Königinen ins Feld gezo-
 gen / wie Trojus Pompejus über den Julinum weitläufftiger
 davon schreibet. Wann selbige Weiber ein Knäblein geböh-
 ren / behalten sie dasselbige drey oder vier Jahr bey sich als den
 schicken sie es dem Groß-Türcken zu / die Mägdlein aber erzie-
 hen sie zur Art.

75 Quicquid autem horum etiam sit, posito, Eunuchos mi-
 litare non posse, sufficit servitorum militarium præstationem

non esse de essentialibus vel naturalibus internis, sed ut supra diximus, externis. Hæc autem nihil aliud sunt quam qualitates juris tunc rei inexistentes, quando aliter conventum non est. Convenire autem potest Dominus v. c. circa acquisitionem tacitè vel expressè cum Vasallo, ut tam ipse quam ipsius quoque descendentes per substitutos serviant. Quemadmodum idem aliàs, quod tacitam conventionem attinet, in fœminâ receptum est, quæ cum regulariter servitia præstare ac ideo in feudum succedere nequeat, capax tamen feudorum fieri possit, si Dominus scienter eam investiat, sic enim juri suo renunciâsse, & ad servitia substitutum admisisse præsumitur. Struvius d. Syntagm. c. 5. th. 12. Ac perinde etiam in Clerico obtinere dubium non est, contra enim ordinis quidem Ecclesiastici professionem est, secularem militiam exercere, terram defendere, de præliis tractare, de armis terrenæ potestatis est, ait Johannes VIII. Pontifex in caus. 11. quæst. 8. can. 1. quod minimè observarunt seculo superiori Parisiensium Sacerdotes & Religiosi. Hi enim adversus Henricum Navarra Regem tunc Galliarum Regni Candidatum ad arma ferenda & stationes singuli suas tenendas se obligârunt, ac Episcopi quidem Sylvanectensis tanquam Ecclesiastici Præfecti vexillum CHRISTI crucifixi; Monasterii verò Carthusianorum Prioris, Beate MARIE Virginis imaginem prætulerunt. Vid. Paulus Piascius Præmis. in Chronic. rerum in Europ. sing. ad annum 1590. p. 83. At enim verò, quò minus per substitutum Clericus Vasallus servitia præstet, nihil prohibet 2. Feud. 40. §. fin. Accedit quod cum imperfectiones aliquæ non neminem à successione feudali excludant, tales esse debeant, quæ, cum præcisè à Vasallo in persona servitia præstanda sint, isti præstationi sint impedimento. Sic imperfectus ratione gustûs, odoratûs aut alio modo ita demum exclu-

N

di-

ditur, si servitium ejus est, *pragustare* aut simile. Rosenthal. *in Synops. f. Feud. c. 7. concl. 72.* Quocum etiam *concludo*: Consequens ergò esse: Eum qui ita imperfectus est, ut generare nequeat, tamen ob id à feudo non excludi.

COROLLARIUM.

Decantata apud Theologos Scholasticos distinctio inter poenam *damni* & poenam *sensus* malè Limbo Puerorum declarata, carcere scilicet quodam, in Inferno, tenebroso, in quo aeternum detineantur infantes absque Sacramento Baptismi defuncti, ubi solam damni seu carentiae Regni caelorum h. e. visionis DEI sustineant poenam propter originale peccatum, nullam prorsus afflicti poenam *sensus*. *Vid. Sententiariorum in 4. sentent. distinct. 4. & distinct. 45.* in Jure Civili & Canonico omnino locum habet. Ecquid enim aliud *Relegatio*, quam poena damni, quam quis beneficiis Civitatis praesens frui prohibetur? Quid aliud *Deportatio*, quam privatio & carentia Privilegiorum atque Jurium Civitatis? Et quid quæso *Excommunicatio*, quam exclusio à communione Sacramentorum præcipue Sacramenti Altaris? si *minorem* intelligas, aut si *majorem*, totalis separatio à consortio Fidelium etiam quoad actus externos, quos his versibus comprehendunt:

Si pro delictis anathema quis efficiatur,

Os, orare, vale, communicatio, mensa negatur.

Os, id est: ne detur osculum. *Orare*, ne cum excommunicatis oremus. *Vale*, ne salutentur. *Communicatio*, ne quis in Sacramentis cum eis communicet. *Mensa negatur*, ne aliquis cum eis comedat. *Vid. Johannes Major in 4. sentent. distinct. 18. quest. 3. conclus. 2.* Hoc excommunicationis fulmine percussum fuisse longè Infelicissimum *Felicissimum*, intelligimus ex Cypriani Epist. 55. ad Cornel. Episcopum Romanum: significasti, inquit, *Felicissimum*, hostem non novum, sed jam pridem ob crimina sua plurima & gravissima absentem & non tantum meam, sed plurimorum sententiam condemnatum, rejectum à te illic esse, & vigore pleno, quo Episcopus agere oportet, pulsum de Ecclesia esse *H. I.* Concurrere autem etiam poenam *sensus* in majore excommunicatione vix negaverit, qui Sathanæ excommunicatum tradi advertit. Sic enim Am-
bro-

brofius *lib. 1. de pœnit. cap. 12.* Et benè, *inquit*, dicitur tradi Sathanae, qui feperatur à Christi corpore. Theodoretus *in commentario in 1. ad Corinth. c. 5.* Ex hoc, *inquit*, locò docemur, quòd eos, qui felegantur, & ab Ecclefiastico corpore feperantur, *invadit diabolus, eos gratiã deftitutos inveniens.* Terribilis fanè ifta excommunicandi formula, quã Patres Concili Lateranenſis contra Monothelitas olim Præſide Martino Primo Anno Dom. 649. celebrati, adverſus perfeverantes in impietate utuntur; quando præmiſſis aliis ſic concludunt: *Et uſque in finem ſine pœnitentiã permanet hæc impiè agens; huiusmodi in ſecula ſeculorum condemnatus ſit, & dicat omnis Populus: fiat, fiat.* A quã haud abit Banus Imperialis quondam hoc modo fieri ſolitus. Wir theilen deine Wirthin zu einer wiſſenſchaften Wittwen; und deine Kinder zu ehelichigen Weifen / dein Lehn dem Herrn / von dem ſie zu Lehn rühren / dein Erb und Eygen deinen Kindern / dein Leib und dein Fleiſch den Thieren in den Wäldern / den Vögeln in den Lüſten / den Fiſchen in den Wäſſern. Wir erlauben dich auch männiglich auf allen Straßen / und wo ein jeglich Mann Fried / und Geleit hat / da ſolt du keines haben / und wir weiſen dich die vier Straßen der Welt im Nahmen des Teuffels. *apud Goldaſtum in tom. 1. der Reich. Satzungen p. 138.*

Pœnam ſenſus autem quod attinet, delictis eam reſpondere necelle eſt *l. 22. C. de pœnis* Nifi creſcentia delicta pœnarum exaſperationem flagitent *l. 16. §. ult. ff. eod.* Hinc delictum leviſus pœna graviſus, ſi nimirum ſalus Reipubl. aut finis pœnarum ſecus obtineri non poſſit *l. 28. §. 3. ff. de pœn. coërceri poſſe à Principe, nemo facile inficias iverit.* Cogunt enim multas invenire Medicinas multorum experimenta morborum, ac propterea multitudo delictorum ſeveritatem exigit pœnarum *can. 25. diſt. 50.* Et ferrò abſcindenda ſunt vulnera, quæ fomenta non ſentiunt *can. 57. c. 16. queſt. 1. can. 4. diſt. 82.* Hæcque ratio fuit, quòd quondam in Eccleſiã ob criminis atrocitatem, pœnitentibus Eccleſiaſtica cenſura diu incumberet, adeoque pro variò ſclerum pondere, diſciplinæ quoque ſeveritas aggravaretur. Quippe aliis poſt biennium, aliis poſt quinquennium, aliis poſt ſeptennium, aliis poſt decennium, pœnitentiã interim ſeriã perfeverante, uti liquet ex *Concilio Elibertini* Anno Dom. 305. celebrati Canonibus paſſim, imò quibuſdam planè in fine demum vitæ dabatur communitio. *vid. d. Concilii can. 13.* Atque ideò videmus in crimine læſæ Maieſtatis tam Divinæ quàm Humanæ juſtiſſimè acerbiffimis delinquentes ſub-

jici pœnis. De illâ Joh. Corasius *in lib. 3. miscell. 7. Civil. c. 8. in fin.* In eâ, *inquit*, semper fui sententiâ, ut Hæretici ejusmodi, qui DEOS ipsos negant, virtutemque Divinam tollunt, non vivi modò comburantur, sed & aliis exquisitis gravioribusque pœnis & suppliciis, si quæ duriora excogitari possunt, plectantur. Hinc rectè Lucilius Vaninus Atheus & Blasphemus homo, incautæ Juventutis seductor Placitò Parlamenti Tolosani flammis addictus; postquam sacrilegam linguam, quam cultro submittere negaverat, forcipum vi extractam carnifex ferrò prius excidisset. *vid. Gramondus in lib. 3. Hist. Gall. pag. 208. & seq. Edit. Tolos.* De hâc notemus exemplum *Johannis Castelli* Parisiensis, qui dum *Henrici IV.* Galliarum & Navarræ Regis Jugulum petere volens in os impegerat, gravissimo mortis supplicio afficiebatur, verba recitabimus ex tr. qui inscribitur: *Jesuita Sicarius i. e. Apologia pro Johanne Castello p. 12. & seq.* Scilicet, ut honorariam sustineat pœnam in principali porta Ecclesiæ Parisiensis nudus in camisiâ, tenens facem ceream, ardentem duas libras gravem, ubi in genua procidens profiteatur & declaret, quod infelicitè & proditoriè inhumanissimum & summè abominandum parricidium illud machinatus sit, Regemque cultro in ore vulnerarit, quodque ex falsâ maledicta instructione in commemorato processu asseruerit; *Permissum esse occidere Reges:* Regemque Henricū IV. hoc tempore regnantē in Ecclesia non esse tantisper dum à Papa approbatus sit: cujus facti quidem pœnitentia ducatur, veniamque ob id petat à DEO, Rege & Justitiâ. Hòc præstitò vehi tradatur ad supplicii locum Grevensē ubi forcipibus candentibus iniustis brachiis & coxis ejus, manus dextera tenens cultrum, quo parricidium designare in animo habebat, amputetur. Tum corpus quatuor equis distractum dilanietur: membra verò & corporis truncus in ignem conjecta redigantur in cineres & hi disjiciantur in aërem, &c. nec non omnia & singula bona ejus acquisita & confiscata sint Regi. *Ravailhaci* posthac Regicidæ sententiam condemnatoriam Gramondus habet *in lib. 1. Hist. Gall. pag. 7.* cui hæc subjicit: Ferunt servata laniando corpori interstitia, infusumque in brachia & humeros successivè sulphuris & plumbi liquorem, quo per singula membra moreretur. Hic finis monstro. In ipsa sententia autem & hæc inter alia, Gramondo *c. l.* teste comprehendebantur: *equabitur solo domus, in qua ipse natus, nunquam posthac superinducendo area edificio.* Scilicet Gentium nonnullarum moribus obtinet, ut domus rei læsæ Majestatis à fundamentis eversa, aratroque in eam inducto, sale dein asper-

aspargatur. Non sanè sine rationibus, quas non neminem Juratorum Hispanorum, cujus hìc legimus vestigia, collegisse advertimus; Et (1) quidem ædium diruendarum rationem petit ex *cap. Felicis de pæn. in 6. ibi: Fiant habitationes ejus deserta, & ut non sit, qui eas inhabitet, dentur cuncta ipsius ædificia in ruinam, & ut perpetua notam infamiae perpetua ruina testetur, nullo tempore reparentur.* (2) Aratri inducendi ex eo, quod in urbibus condendis aratro locus definiatur *l. pupillus §. urbs ff. de V. S.* vocabulum nempe urbis ab *urvo* derivando, urvum verò juxta Varonem *curvaturam* aratri in urbe condendâ adhiberi solitam appellari; pari ergò ratione in depopulationem eodem instrumento uti haud inconueniens esse, cum nihil tam naturale sit quàm unamquamquè rem, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvi. (3) Salis aspersio: cum videlicet aliarum rerum omnium genius ad generandum semper sit proclivis, salis autem natura effœta sit & non tam ad generandum, quàm erodendum absumendumquè prompta, argumentum esse totalis ruinæ & interitûs. Hocquè à S. Codice non esse alienum, in *c. 9. enim libr. Judicium* dici: Regem Abimelech urbem Sichem propterea, quod à suo Imperio defecerat, funditus diruisse, & habitatoribus interfectis, *sale aspersisse.*

Quod de Principe *supra* dictum est, jus ipsi delicta leviora pœna graviore coërcendi competere, id ad Judicem minimè est extendendum. Hic quippe citra infamiam nequit aut mitior aut durior esse lege *l. 8. C. ad Leg. Jul. de vi publ.* Sicuti verò in casibus dubiis atque perspicuis non debet aut clementiæ aut severitatis gloriam adfectare, sed perpenso judicio, prout quæque res postulat, statuere, monente Marcello Jcto in *l. respiciendum ff. de pæn.* Ita ex adversò in pœnalibus casu in circumstantiis suis dubio existente, mitiorem potius se præbeat quàm asperiores Judex. Videlicet Legum pœnæ, interpretatione molliendæ potius sunt, quàm exasperandæ *l. penult. ff. de pæn. l. 155. §. ult. de Reg. Jur.* Mitior enim Lex semper sequenda *l. 32. in fin. ff. de pæn. Conf. l. 25. de Legib.* Hucquè Seneca *lib. de Clement. c. 20.* respexisse videtur, quando ait: *Judex pœnam, si tuto poterit, donet, sin minus, temperet.* Aut potius: peccet semper magis in pietate & clementiâ, quàm in crudelitate & atrocitate. *Vid. Hippolyt. de Marfil. in practica sua §. final. num. 7.* Est nimirum melius propter misericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem in *canon. alligant c. 26. quest. 7.* Non ineleganter Grævius in *tribunal. refor. lib. 1. c. 4.* Tolerabilius, inquit, in ultimo uni-

ver-

versali Judicio coram summo omnium Judice erit animæ judicantis, si misericordiæ, clementiæ & benignitatis affectu abrepta errorem fecerit, non ad amissum reorum omnium, omnia, qualiacunque fuerint, crimina vindicando, quàm si nimiâ severitate, nimioque Justitiæ Zelo vel unius innocentiam opprèsserit, aut pœnas etiam nimium exasperaverit. Hinc rectè in sui temporis Judices invehitur Hippolyt. de Marfil. *in tr. de fidejuss. in fin.* Qui, *inquit*, magis sitiebant sanguinem humanum, quàm vinum Malvaticum, dequè tali sævitia gaudebant, lætabantur, & coram populo gloriabantur, qui meritò Carnifices appellandi sunt. Quod & de Perquisitoribus, uti vocat, Hispanis asserit Parladorius *lib. 2. rerum quotid. c. 1. n. 23.* De Marco Antonino Julius Capitolinus ait, quod solitus fuerit omnia crimina minore supplicio punire, quàm Legibus plecti solerent. Livius *lib. 1. Hist. sue* gloriosum ducit Romanis suis; nulli Gentium mitiores placuisse pœnas. De Lusitanis Maffei *lib. 10. Hist. Ind. p. 275. in fin.* dicit: ex patriis Institutis & Legibus sibi gloriari licere, nullam Gentem in homines damnatos mitiora exercere supplicia. Notandum autem est, Principem confundi non debere cum Judice, uti ex suprâ dictis manifestum, & istum clementem quidem esse posse, sedulò tamen ipsi cavendum, ne clementia in nocivam abeat licentiam.

Corrigenda:

- p. 77. lin. 10. pro *Concl.* lege *Concili.*
 p. 78. lin. 3. pro *on* lege *ou.*
 p. 80. lin. 28. lege *Frisingens.* & lin. 29. *filiâ.*
 p. 81. lin. 23. lege pro *tit. leg.* & lin. 26. pro *in* lege *tamen.*
 p. 83. lin. 5. lege *Gvinerus*, & lin. 11. pro *autem* lege *antea.*
 p. 86. lin. 16. lege *expresso.*
 p. 87. lin. 7. lege *Vinnio*, & lin. 29. lege *γυνήτινῃ.*



Königsberg, Piss., 1686-94

ULB Halle 3
004 356 780




P

H.

WOM





Inches

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

Centimetres

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

JURIDICA,

25

ONUM

ORUMVE

A MUNERA

ET CIVILIA,

IAS VOLUNTATES

SSIONES

IOR,

SIDIO

RENT, U.J.D.

POTENTISSI-

ENBURGICI JUDICII

SILIARI

ntilationi submittit

TILESIUS,

ffus,

O MAJORI

, Anno M DC XCV.

REUSNERIANIS.